



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini  
Nostri Iesv Christi Passione**

**Piatti, Domizio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

De vulneribus pedum Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49474](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49474)

xione rerum, quarum vna sine altera intelligi & explicari nequit, exigente ita nihilominus vt institutæ breuitatis non obliuiscamur.

Transeundo igitur ad plagarum Christi particularem considerationem, & recordando verborum Dauidis Prophetæ dicentis: *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*: ordiemur à pedum vulneribus.

*Psal. 131.*

*De vulneribus pedum Christi.*

I.  
Vulnera  
pedum  
Christi.

**P**rimò considera, quam ingens dolor fuerit Christo quod illum admodum grauius læserint, clauosque transfecerint per illam pedum partem, in qua nervi omnes concurrunt, qui per vniuersum corpus extenduntur, & propter connexionem quam habent cum reliquo corpore, si ipsi crucientur, omnia quoque corporis membra intolerabili pena cruciantur.

2.

*Psal. 67.*

Secundò considera, quomodo Dauid nonnulli volunt in spiritu præuidens quod hi sacri pedes, propter vulnera ipsis infligenda, copiosum sanguinem essent profusuri dixerit: *Intingatur pes tuus in sanguine*. quasi volens innuere, taliter eos esse læsuros, vt non tantum ubicunque defigerentur, vestigia sanguinis relinquerent: sed videri possent, toti in sanguine immer-



esse: quod in Christo verificatū fuisse, manifestè patet in sacra syndone.

Tertio subsiste hic paulisper anima pia, & amplectendo sacratissimos hosce pedes, contemplare quomodo acutis & crassis clavis ad crucem conclauati fuerint, & per hanc confixionem, vsque adeò lacerati & cruentati, vt formam suam prorsus amiserint. Ex quo facilè cognosces in Christo Domino tuo fuisse verificatum illud quod de S. Iob dicitur. *Percussit eum diabolus vulnere pessimo, à planta pedis, vsque ad verticem eius.* Et dum amoroso cum affectu sacros pedes consideras, contemplare simul animo compassiuo, dolorū Domini tui summam acerbiteratem.

*De vulneribus crurium.*

Considera primò à plantis pedum vsq; ad lūbos, sacratissimas illas tibias siue crura, fuisse omnino liuida, & pelle nudata, à crudelissimis illis percussionibus, quas ab vtraq; parte ad columnam exceperant: quemadmodū rectè prophetauit Ieremias dicens. *Aedificauit in agro meo volēs demonstrare ipsum fuisse à percussoribus vndique cinctum, atque illos Christum sibi quasi in signum, in quod ictus suos collimarēt proposuisse, vt verificaretur illud quoq; quod S. Iob. in spiritu preuidit.*

I.  
Vulnera  
tibiarum  
& coxendi-  
cum Domi-  
ni.

Thren. 3.

Iob. 16.

T 4 quan-